

C P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

an XVII.

DISCEPTATIO

ΠΕΡΙ ΠΩΓΩΝΟ-
ΦΥΙΑΣ, VEL DE BAR-
BIGENIO HOMINIS ME-
RE--MARIS;

*Cujus defensionem intra privatos parietes in celebri Academia,
quæ Lipsiæ est,*

SUB PRÆSIDIO

Dn. M. CHRISTIANI BECMANI,
Cordatè suscepit

VALENTINUS HARTUNGUS Lipsiensis,
Medicinæ Stud.

Seneca l. 3. quæst. natural. c. 29.

*In semine omnis futuri hominis ratio comprehensa est. Et LE-
GEM BARBÆ ET CANORVM nondum natus in-
fans habet. Totius enim corporis ac sequentis ætatis
in parvo oculiq; lineamenta sunt.*



J E N Æ

Excudebat TOBIAS STEINMAN Anno 1608.

18

Eamq̄ve ceu strenam haut strenuam ; sed te-
nuem certis de causis ,

*Honoratissimo, Honestissimo atq̄ve integerrimo
Viro ,*

Dn. Jacob Schneidern
Lipsiensi Civi, ac præcipuo Mer-
catori,

*Suo semper-bono affini atq̄ve fautori ex animi prolubio
obtulit,*

Cum thalamum frater peteret, IACOBE, secundum ;
Frater, quem Mystam Lipsia culta colit,
Ac juvenes inter senos- quater alteri & uni
Vix, tegumen mento nobile, barba foret:
Rara rei facies fecit te quærare causas,
Solum de reliquo meq̄ rogare theses.
Quid quæris? SCHNEIDERE dedi; licet omnia nondum
Sint liquida; explicui barbitiq̄ modum.
Interea cunctis mystax succrevit & ambas
In mento partes hispida vestis habet.
Desine mirari, si nos jam videris; immò
Desine mirari, si legis hæc theses.
Quis animo accipies æquo, longeq̄ superstes
Post Sophiæ studio fautor amicus eris.

Autor Respondens

Valentinus Hartungus Lipsiensis.



D. O. M. A.

I. THESIS.



ULCHRÈ PRO INGENUO PHI-
losophici candoris more Aristoteles,
maximam, inquit, partem eorum, quæ
scimus, esse minimam illorum, quæ ne-
scimus. II.

Et iane quotumqvemq; plurima hæc non latent;
paucissima quandoq; mediocriter cognita manent?

III.

Nec id genus, in eandem ejusdem ubiq; id assitentis
Philosophi mentem sexcenta aggerere, inq; nostri pu-
dorem exaggerare est opus.

IV.

Inter alia a. Naturæ opera abstrusiora tam mirabi-
le barbitii initium, incrementum atqve varietas depre-
henditur, ut merito nostros oculos aliàs lippos ac ve-
spertilionum instar lusciosos feriat & ad sui penitorem
inspectionem vertat vel invitos.

V.

Quapropter satiùs erit, cum alioquin potuisse, nec
voluisse, quàm voluisse, nec potuisse turpius sit, prodi-
isse tenus, si non dabitur ultrà, cumq; autoribus nulla
tamen absq; ratione vel coloratâ saltem, modeste pro-
tulisse ea, quæ aut vera, aut à vero propè abesse vide-
buntur.

VI.

Ubi quidem ut mihi differendi aut asserendi; ita vobis censendi vel assentiendi, cedendi, concedendi ve esto libertas.

VII.

Ante tamen, quam nimia hæc mira rimemur, unum atque alterum *περὶ γνώσεως καὶ σαφηνείας ἕνεκα* præmittemus:

VIII.

Hoc e. (ita nobis interpretari licuit) partim vocis homonymiã tollemus, ut obstaculo in aditu remoto citius tutiusq; quo pergimus, perveniamus juxta versum illũ Leoninum: *Non de ponte cadit qui cum sapientia vadit.*

IX.

Partim de pilorum nominibus notationibusq; *πύλον*, quia, ut recte Epictetus, *δέχῃ παιδείας, ἢ τῶν ὀνομάτων σκευῆς*: quædam aspergemus, sine mora demum ad id, quod præ manu & mento est, properaturi.

X.

Ut igitur pili animalibus penè omnibus viviparis l. 5. de generat. anim. c. 3 & l. 3. de hist. anim. c. 10. proprii habentur: *καλαζηνικῶς* autem plantis dantur, velut pilosellæ, hieracio phlomoidi Tabern. Gnaphalio montano Tabernamontano, Scabiosæ arvensi, trifolio Dioscorideo.

XI.

Ita barba etiam iisdem solis ascribitur; neq; tamen cunctis; uniq; magis, ut capro tanquam gregis viro; quam alteri.

XII.

Impropriè enim nullo barbato. Quia pili piscibus nulli; herbis item, hirci barbæ, thapso barbato, barbula Christi, ac cometis deniq; tum aëriis, tum ætheriis *καὶ ὁμοιότητι*.

XIII.

Sed potiss. nomen id hæctenus meruit & obtinuit

in ho.

in hominibus masculis, nec intestatis, adeoque justam
ætatem adeptis. XIV.

Atque sic satisfactum τῇ σαφηνείᾳ. Jam quia non illico
nascimur barbati (nulla hinc monstra nos terreat, aut
turbent) è l. 3. de hist. anim. c. 11. lingvæ precium erit as-
seruisse quosdam pilos esse συγγενῆς, h. e. magnos ob
usus nobiscum connasci, eosque in tribus locis.

XV.

1. In capite; unde dicti concisè capilli. Inde falsi,
qui capillos capitis odiosa ταυτολογία indignant.

XVI.

2. In palpebris; ubi forsitan à cillendo; non, quod
aliqui in grabato etymologico somniant, à celando cilia
appellata: nisi proprius alludant Græcorum κιλια.

XVII.

3. Supra easdem, indeque supercilia vocata. Quæ
cum contractius depressa cum fimbriata fronte auste-
ritatem & superbiam notent, supercilium pro his apud
Latinos in usu obiter notabis.

XVIII.

Quosdam ὑπερογενῆς, h. e. ob materiæ necessitatem
uniusque & alterius causæ præsentiam demum oriri to-
tidem in locis; licet nec ipsi suo destituantur usu:

XIX.

1. ὡς ἐν πλάτει seu præter & propter os, h. e. vel
circa genas, inibi, cum nondum robur solidum virisq;
solutum sunt nacti, lanugo; exinde τροπικῶς in fructibus
& foliis quarundam plantarum, & cotonei, pseudodi-
ctamni, Æthiopidis &c. nuncupatur.

XX.

Vel in labro superiore, ubi mystax audit, quasi

A 3

μάσταξ

μάστιξ παρά τὸ μάσασθαι vulgò ; rectius & doctius παρά
τὸ μύεσθαι.

XXI.

Vel deniq; in inferiore, ubi nomen generis καθ' ὑπεροχὴν, h. e. ob copiam retinet ac Barba vocatur, videturq; nobis dicta eductaq;ve (nec id in ullo Etymologo citra ignorantiam, arrogantiam inquam, animadvertimus) per initialem ἀναδιπλωτὴν ἀ βαρὺ seu gravitate, q. βαρὺ è manifesta nostri Maronis manu ductione:

Barba virum decuit hirtaq; in corpore seta.

XXII.

Qvas & quot alii nugentur aut nundinentur notationes, iis una hæc pensior, cum solis Barbaris (suspicamini opinor, quid innuam) non natura; sed incuria licuerit esse barbatis, ut & teste Sabellico, Longobardis.

XXIII.

2. Sub alis utriusq; sexus adolescentum, qui ideo pili subalares vulgò nuncupantur; Hadriano Junio grande balæ; ubi sine ulla prævaricatione Philosopho Philologus concedetur saltus.

XXIV.

Adolescere est inchoativum ab adoleo, h. e. ad odorem accendo, ut adolere thus, myrrham, cypri aves &c. Hinc adolesco est incipio accendi ad odorem emitendum.

XXV.

Idq; usitatè. Olere enim est odorem spirare, ut olerè hircum, suem, canem capra commistum. Unde adolescere post metalepticè significat augeri statura corporis seu crescere.

XXVI.

Quia incrementum corporis in augefcente ætate facit, ut sudor fieri incipiat graveolentior ac hircosior,

præter-

præsertim sub illis alarum latebris lacunisqve ἀπὸ τῶν ἀ-
τοις, ἀκινήτοις καὶ ἀγυμνάτοις.

XXVII.

3. Deniq; penes penem seu pubem (Nam ita nomen
cluet è græco ἡβή) vicina de causa, quam tamen hone-
starum aurium gratia reticuisse, quam ex Hippocrate
reticuisse modestius erit.

XXVIII.

Neque sic τῇ προγνώσει aliquid videtur detractum.
Jam ergo, cum è modo dictis attactisq; pateat barbam
esse inter pilos ὑπερογενῆς, nos secuti Aristotelem barbi-
genium (quid ἢ πωγάνοφύια responderet?) ut accidens
demonstrabile seu ut affectum respectu subjecti, seu ef-
fectum ratione causæ considerabimus;

XXIX.

Et quidem talem qui non semper insit suo δεικτικῶ,
licet apto nato: sed tantum, ut plurimum, ideoq; ab eo-
dem εἰδεχόμενον πεφυκῆς, h. e. contingens aptum natum
fieri, quod quædam propensio naturæ hic sit, ut in hanc
potius, quam illam partem vergat, appellatum, l. i. post.
Anal. c. 24. & 2 post c. 13.

XXX.

Itaq; tria nobis paulum diducenda sunt, ac diluci-
danda. 1. τὸ παθὲν ὡς ἴπὶ τὸ πολὺ γινόμενον, seu affectio
ipsa.

XXXI.

2. τὸ δεικτικὸν ἢ πάθος, ἢ ὑποκείμενον, h. e. subjectum
& quidem particulare; cui horridula illa hirsuties, atq;
puellarum oculis, osculis inquam odiosula solet inha-
rere.

XXXII.

3. τὸ αἴτιον συνεχές, h. e. causa conjuncta & proxima;
quibus rite sciteque explicatis res ipsa plana & plena
erit;

Eò ma-

XXXIII.

Eò magis, quod perfecta priorum accidentium definitio tantum *θεία ἢ πλάωα* terminorum à demonstratione differat; immò nihil, nisi *ἐπιστάδες* & restabit. Sicut id vel Analyticorum pueri sciunt.

XXXIV.

De affectione ut multum laboremus, vix styli precium apparet, cum hæc nulla alia sit, quam *παγωνοφυία* seu *τριχώσις* & *γένιός*, h. e. sparsio pilorum ad utriunqve labrum ac genas.

XXXV.

Hoc tamen rudioribus Analyticæ doctrinæ notandum tenendumq; eam in quaestione ita proponi solere: Cur scil. masculi homines certa ætate barbam emittant? Seu cur in iis barbigenium fiat? *ἢ ἀλά τριχῶται τὸ γένειον*, h. e. cur maris mentum redditur pilosum.

XXXVI.

Curiosum equidem ingenium hic non aspernor, ut rem fatear, & cum Philosopho l. 2. Metaphys. c. 1. adhortor, *περὶ γὰρ εἶναι τοῖς ὑπορῆσαι βελομένοις τὸ ἀλά πορῆσαι καλῶς*.

XXXVII.

Audin' hoc? *καλῶς*. Optimè, optimè additum. Alioquin ineptum est & putè purè scepticum. Ingenium inquam, quod mente non nihil renitente aut certè assensum retinente rejiciat hanc, ut *ἀπλῶς ἴδιον πάλθ*.

XXXVIII.

Quia non soli homini, neq; omni masculino, neqve semper sed tunc demum, cum ex ephelis excedere contingit, atqve tum quidem, quando causa præsto est, non impeditur.

XXXIX.

Verum hæc in parvo sunt, nec nisi obstreperi data distinctiuncula reclamant.

XL.

Hominis enim maris, si cum foemina compareretur, proprium est secundum naturam barbescere: quamvis reliqua non negemus, cum antè ipsi idem παρθένος ἴσθι ἰσθίον πολὺ γινόμενον dixerimus.

XLI.

At verò si verum reticere nolumus, viris, quatenus viris (nam mulieribus longè alia conditio; Spadonibus item & Eunuchis longè aliud vitium) habitus iste hispidus circa certas faciei partes minimè sumtuosus semper competit potentia; quamquam non actu; sed potentia in actum produci apta, ne semper imberbes nobis quid exprobrent aut improbent.

XLII.

Illam magis torquent, quæ Zabarella monet movetq; de mediis ad utrumque extremum respectu in 2. Post. Analyt. c. 13.

XLIII.

Sed hæc commodius, ubi de causa seu medio (τὸ γὰρ αἰτιον ἐστὶ τὸ μέσον, suâ lingvâ noster magister ait) agemus.

XLIV.

Primum nodum jam diffregimus, excipit alter, quod qualemve subjectum sit? Difficilis, nec sanè ligneo iligneove cuneo: sed æreo dignus! Quid ita?

XLV.

Quia duplex statui videtur; quod vel è superioribus noris, si exciderit, quæ in ruminibus. Cur masculi barbescunt?

XLVI.

Illud subjectum; hoc prædicatum est: aut id cogita. Cur in mento genisque barba profilire solet? Illa subjecti, hæc prædicati locum habent.

B

Diver-



XLVII.

Diversitatem vides; sed apparentem, minus consistentem. Reapse enim utraq; conveniunt; verbis tantum dissonant, cum idem sit marem ornari barba, & in mento genisque masculi pilos oriri posse.

XLVIII.

Hanc tamen distinctiunculam nota; hominem marem esse subjectum QVOD; sed particulare; (unde & particularis demonstratio confit.) mentum vero & genas subjectum QVO seu parziale.

XLIX.

At caudex hic nondum divisus aut diffusus. Nec enim partes illæ circa os cutaneæ ita nude sunt barbi genii subjectum (aliàs omnis & sexus & ætatis hominibus liceret esse barbatis) sed certo modo dispositæ;

L.

Tales scilicet, nec nimis humidæ, nec nimis siccæ, nec nimis laxæ aut raræ, nec nimis compactæ aut densæ, cum inibi fuligines (ut chymicè loquamur) figi nequeant: hic iisdem exitus pateat nullus; ut in cicatricum callis, ubi pori delentur ac tolluntur:

LI.

Verum mediocriter affectæ, porosæ item, carniq; & glandulis supertensæ. Quia si subsint tendines lati, ut in vola manus & pedum plantis pilis erumpere non possunt.

LII.

Id quod evenit quoq; circa brachii gibberum & malleolos. Glandulosa autem cutis, qualis est menti & genarum, omnium aptissima est; quia ibi culina est fuliginum & excrementorum è tertia concoctione reliquorum.

LIII.

Sed ne vortice harum disputationum abrepti absorbea-

forbea.

forbeamur, portum videmus, imò jam tangimus, atq;
ultimum, causam scil. damus, præcipuâ demonstrabilis
accidentis partem, διὰ τὸ πρῶτον ἐστὶ: crassulos, viscosos
& fuliginosos vapores à calore nativo in cutis meatus
propulso primò, ac demum à seipsis, instar aquæ è si-
phone, aut minutalis è farcimine, continuo protrusos.

LIV.

Qui v. calorem externum sive ambientem nec non
frigus ad effectum hunc producendum, quo illi exicca-
ti indurentur, addunt, ii causas vel remotas vel adju-
trices admovent.

LV.

Saniora sanè & tolerabiliora proferunt, qui id genus
effectuû duplici de causa fieri asserunt, vel propter ma-
teriæ necessitatem; vel propter usum, h. e. inutilium sor-
dium evacuationem.

LVI.

Licet idem cautiùs ac verò propiùs asseverent, de
quibusdam solùm, cum cervi cornua hinc obvertant
(nescio an iisdem etiam feriant) quibus haut ad defen-
sionem, cui pedum celeritas satisfacit, eos Natura do-
navit, ornavit, immò oneravit.

LVII.

Porrò quia barbigenium effectus est, si actum spe-
ctes, ὡς ἐστὶ τὸ πρῶτον: etiam causa erit talis.

LVIII.

Ideoq; sentinò, ut nos pungat supra infixus aculeus
à Zabarella argutante, cujus extremi respectu sit medi-
um ὡς ἐστὶ τὸ πρῶτον, ac Minoris quidem causa adstruen-
te:

LIX.

Quia quoties affectio tribuitur subjecto ut plurimū
in quæstione: toties quoq; medium eidem attribuetur
in assumptione. Et hinc in tali demonstratione major

B 2

erit

erit perpetuo vera ac necessaria: Minor autem & conclusio ut plurimum contingentes.

L X.

Acuta quidem magni inter magnos Logici sententia: attamen ab ipso Aristotele hebetata, cujus verba si pensites, utriusque extremi respectu idem medium *ὡς ἴππὶ τὸ πολὺ*, dici posse deprehendes:

L X I.

Ac minoris quidem. Quia ei non semper inest: Majoris a. Quia minimè necessario. sed contingenter, tantum posita causa ponitur effectus, ablata tollitur.

L X II.

Ex qua cause cum effectu coherentia (adverte grandem *ἐπανόρθωσιν, εἰὰν μὴ ἔμπόδιση*) fiet ἀμεσὸς *δέχη*, seu positus crassulis glutinosis, & fuliginosis vaporibus a calore &c. sese mutuo protrudentibus, nec retrocedentibus barba in mento & genis prorumpet, nisi quid obstiterit. Quam clausulam in talibus cautè ubiq; audi.

L X III.

Ita tria posterius proposita finivi: juxtaq; eadem sic definivi. *παγωνοφυία ἀνθρώπινῃ ἐστὶ τριχωσις ἢ ἴππὶ τῶν σαγόνων ἢ παρὰ τὸ σῶμα καὶ γένειον ὀρθῶς ἔχοντα ἐν ἀρρεσιν ἀνθρώποις ἐκ τῶν πυκνῶν καπνώδων καὶ κολλώδων ἀμυδαίων ἀπὸ τοῦ ἐμφλοῦ θέρμῶν γίνεσθαι εἰωθῆσα.*

L X IV.

Qui *ὁρισμὸς ἐστὶν οἷον διὰ δέξιν*, cum eandem habeat materiam, h. e. terminos: tantum v. *πῶσα ἢ δίσα* distet.

L X V.

Demonstra ergo & syllogismum confice. Arduum opus. Quia premissas & conclusionem oportet esse *κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ καθ' αὐτὰ*. At nihil hic minus.

Idcirco

LXVI.

Iccircò excusamus nos. Etsi Syllogismus non fiat actu; potentia tamen; tum quia tres termini adsunt: tum quia major propositio cæteris paribus, est per se: tum quia quoque extra formulam Syllogisticam cognitio ista causæ est. *Ἐπισημονική.*

LXVII.

Ut tamen molestus & tibi & mihi esse desinas, heus audacule ipse collectivam attempta formulam: Sed ne abortum infirmum, informem, immò apud bonos Logicos enormem aut monstruosam demonstrationem parturias pariasque attende.

LXVIII.

Tandem usus barbitii subit; isque, ne theses meas *κλειζέειν καὶ βογρυχίζειν* videar, triplex: 1. ut fuliginum supervacuarum evacuationem adjuvet:

LXIX.

2. Ut commodum illis partibus, præsertim hoc acri frigore quas mulierculæ peplis ob nativi operculi defectum velant, tegumentum præbeat:

LXX.

3. Ut singulare decus auctoritatem atque gravitatem viris, si scilicet pulchrè & undique debita loca convesterit, conciliet.

LXXI.

Plures usus aut quandoque hominum malitia abusus supprimo: jamque, *ἐπισημονή* sepono & coronidis loco pauca promo *ἐπισημονή*: ubi sese ex adjunctis & accidentibus variis quæ passim sparsimque, si collibitum est, colligi queunt, tam ob subjecti, quam causæ diversitatem, sexcentæ penè ostendunt differentiæ.

LXXII.

Quas quidem non minutatim ut singulos missus :
Sed ut dubiam cœnam apponere est. animus : *αγορευ-*
μα Qigitur *ερεκεν* ista cape & sapes :

LXXIII.

Barbitium pilosum, setosum, lanuginosum ; con-
tinuum, interruptum seu bifidum in mento, *Ein ges-*
spaltener Bard / vel facetius, *Ein hundert vnd eins Bard* /
quia repræsentat 101. ubi ut in medio numerus stat
nihili : ita ibi nulli pilis, promissum, curtum ; grande, exi-
guum ; latum, monogrammmum ; verum seu nativum ;
adumbratum seu hiltrionicum ; humidum pro madi-
do ; siccum pro sobrio Poëtis : durum, molle, hirtum,
tenerum ; densum, rarum ; rigidum seu horridū, flexile
albū, nigrum, ex utroq, incanū, flavū, falfum, ruffum,
spadiceum, cineritum, subcineritium, pulchrum, de-
forme ; ambitiosum, (quod latius latiusq, undiqve se
diffundit) fastigiatum seu acutum, quadratum, ang-
ulosum.

LXXIV.

Respirare finitote ; quia plura restant ; simplex im-
plexum ; regale, herile, servile ; nobile, vile seu plebe-
jum ; civile, rusticum, peculiare, vulgare ; pexum, im-
pexum ; intonsum, detonsum, juvenile, virile, senile,
maturum, immaturum ; Judaicum, Chaldaicum, Syria-
cum, Medicum, Persicum, Græcanicum, Scythicum,
Turcicum, Polonicum, Hispanicum, Belgicum, Galli-
cum, Anglicum, Danicum, Italicum, Germanicum.

LXXV.

Nimia barbitiorum copia. Nec mireris. Quia certè
nimia pilorum in corpore, seges, quæ per omnia ejus fe-
rè membra, licet diversimodè se spargit, insinuat, peni-
trat, tandem enata tam uberem dat messem.

Inno

Brünſii
g. l. m.

L XXVI.

Immò nimia apud plerosq; cura, nimia incuria, quidni & injuria, apud eos inq;vā, qui vel calamistris vel aliis ministris sibi peregrinum & mirum è nativo barbitium fieri, radi, rodi, adeoq;ve miscerè miserè & distorti queri malunt.

L XXVII.

Sed his ne totas patinas, paginas inq;vam impleam, jam concludo, de reliq;vis forsan in privata συζηήσει acturus, cū in tristitia hac temporū svavius aliquod pabulum animo conveniat reficiendo & erigendo;

L XXVIII.

Interim de eadem lana, quod quidem plusculum est, integellum opusculum nullo promissor hiatu φιλοπωγώεις pollicebor, quanquam id tenue, nec fama mihi ab eo magna spes; major fortzan à Momis, quos valecapere jubeo, metus.

*Queritur, sed sat trepidè: deciditur,
sed sat tepidè.*

1. Quale genus barbæ primò sit adeptus Adamus. Cū pictores varient & adhuc sub iudice lis sit: iudicium à me abdicò & liberè dico: Haut liquere. Quia responsionem nulla necessitas urget. Sive enim possumus sive minus; utrumq; apud nos parum est, nec in magnis ponderib. ducimus nescire istud vel scire; unum solum posuisse contenti: Non aliam habere potuisse, quàm ruffam, si rubram terram respexerimus,

2. An detur viridis nativo barba colore? An quia pili nulli virides juxta Scalig. Et verò secundum Medicos bilis in homine reperiatur glastea & porracea; nec valeat seq;vela Galeni 2. de Temp. / valeat scil.

3. An boni civis licitum est attingere barbam? An quia olim signum amicitia; post autem Amala à Ioabo subdole confosso atq; etiam nunc maneat odiosum.

4. Cur

4. Cur sint imberbes omnes mulierculæ ad unam? An
quia maribus frigidiores? an quia humidiores & exinde cutim
rariore? an quia mensurnis profluviis sordes istæ subluuntur?
Idq; physicè. Politicè: an quia Natura, quod pleræq; in conjuges
maritos vel contra edictum divinum obtinent, dominium præ-
vidit, ideoq; inhibuit, ne hoc duplicato majori fortibus fortè
viris terrori forent: haut secus ac Romani olim binis Coss.
unos tantum fasces præferri gemina genuinaq; de ratione vo-
luerunt.

*Quod si deficiant vires, audacia certè
Laus erit, in parvis & voluisse decus.*





Qui de Barbisio potest sit quid scribere frugi,
Cui nondum barba vestij, umbra genas?
His potius mihi vapias sub tegmine Barba
Queis nunc icla gelu desidet alma **VENVIS**.
Affirmare ausim nostro, si hediastate id unum:
Te, quide **BARBIS** jam bene scis juvenis.
Enthymema rotare virum, Iovis eduum ab aliis
BARBA, uti de Cerebro est ejus Athena sata.

De proper, Christianus Ancsorg. LL. Stud.

F I N I S.







Fc 1249. gn


ULB Halle
003 422 747

3



Bitte hoch kein
Sammelband verwenden
nach Ausleihe
an Retro-Ecke
OK
Zurück!

VD 17





an XVII.

DISCEPTATIO
ΠΕΡΙ ΠΩΓΩΝΟ-
ΦΥΙΑΣ, VEL DE BAR-
BIGENIO HOMINIS ME-
RE--MARIS;
*Cujus defensionem intra privatos parietes in celebri Academia,
quæ Lipsiæ est,*
SUB PRÆSIDIO
Dn. M. CHRISTIANI BECMANI,
Cordatè suscepit
VALENTINUS HARTUNGUS Lipsiensis,
Medicinæ Stud.
Seneca l. 3. quæst. natural. c. 29.
*In semine omnis futuri hominis ratio comprehensa est. Et LE-
GEM BARBÆ ET CANORVM nondum natus in-
fans habet. Totius enim corporis ac sequentis ætatis
in parvo oculiq; lineamenta sunt.*

J E N Æ
Excudebat TOBIAS STEINMAN anno 1608.

